

§. XXV.

3. Ratione objecti requisitum est, ut illud quod quis confitetur, naturam & jus recipiat. vid. *pr. §. 23. l. 14. §. 1. ff. de interrog. in jur. fac. Mascard. Vol. 1. de probat. qv. 7. n. 40.* Hoc est ut natura possibile sit & jure subsistere possit. Unde si quis fateatur Titium filium suum esse, qui tamen ætate viginti annis major est; aut Wittenbergæ dicat se heri Hamburgi fidejussisse; itidem si affirmet se hereditatem aditam iterum repudiasse, fundum vendidisse pretium verò nondum determinasse, & quæ similia &c. ipso jure enim nullæ erunt hæ confessiones, quia illæ natura sunt impossibiles, hæ verò jus non recipiunt, *l. 1. §. 2. de V. O. l. 4. C. de repud. hered. l. 2. §. 1. de contrab. emt. l. 9. C. eod.* Et ideo licet falsæ proferantur confessiones, tamen quando jus & naturam recipere possunt, dicuntur confessiones, etsi per reprobationes erroris postmodum rescindantur, & confitenti non noceant, vid. *Accurs. in l. un. C. de confess. Mascard. d. qv. n. 34. & seqq. exempla vid. in Coll. Jur. Arg. b. t. §. 5. n. 2.* ratio enim est, quia certum debet esse de quo confiteatur aliquis, ut inde appareat quid & quantum confessus sit. vid. *Corvin. Summar. Jurispr. Rom. tit. de confess. p. 563. col. 1.*

§. XXVI.

Forma confessionis consistit in certa ac legitima facti alicujus assertione. Dixi *Certa*, incertum enim si quis confessus fuerit, pro judicato non habebitur, *l. 6. pr. b. ibi: incertum non erit.* Sicut enim sine certa re & quantitate sententia prolata non valet, *§. curare. 32. Inst. de act. tot. tit. C. de sent. quæ sine cert. quant. ita neq; confessio incerta valere potest, nisi de re confessata appareat, uti habet Corvin. Summar. Jurispr. Rom. tit. de confess. p. 563.* Certum autem maximè dicitur, quod individuum sive spe-

C

ciem

111